



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Prælatiſ Eccleſiarvm in Achaia conſtitutiſ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

rum. Datum Laterani xi. Kalen. Aprilis, anno tertio decimo.

*PATRACENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Moronenſi, & Coronenſi electo.*

*Epist. 14. Scribitur ad- versus quosdam patrum auctor.*

**A**d audientiam nostram nobili viro Gaufrido de Villa. Arduini Principe Achaie significante pervenit quod quidam Clerici, Milites, & alij ad partes Achaie accedentes, receptis in feudum terris ab ipso & aliis, homines suos ad redemptionem indebitam cogere non formidant, sicque maxima pecuniae quantitate collecta recedunt, deserentes terram penitus desolatam. Praeterea quidam ex Latinis ibidem morantibus, ut alios Latinos impugnent, Graecis temere adherere praesumunt. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus praesumptores hujusmodi, ut a sua praesumptione desistant, monere ac inducere procuretis, eos ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia per totum.

*THESAURARIO THEBANO, & R. Atheniensis & T. Thebano Canonici.*

*Epist. 17. De archidiacono non Andretil.*

**P**reces dilecti filij nobilis viri Gaufridi Principis Achaie recepimus supplicantis ut archidiaconatum vacantem in Andrevillensi Ecclesia dilecto filio magistro Iohanni Capellano suo, viro scientia & moribus commendabili, & in ejus obsequio pericula multa passo, concedere dignaremur, maxime cum ipse illum concedere dubitaverit, quamquam praedecessor suus eum contulisse dicatur, & dilectus filius noster Benedictus tituli sanctae Sufanae Presbyter Cardinalis, legationis officio fungens ibi, collationem ejus postmodum approbasset. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quod si praedictum archidiaconatum vacare contingerit, amoto ab eo quolibet illicito detentore, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, praefato magistro cum integritate debita conferatis eundem, & faciatis eum ipsius pacifica possessione gaudere, contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Testes autem qui fuerint nominati &c. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani ix. Kal. Aprilis &c. ut in alia.

*VNIVERSIS LATINIS Episcopis in Achaia constitutis.*

**Q**vanto novella plantatio Latinorum, quam ad partes Achaie transfudit manus Dei, minus firmas habere videtur ex recenti mutatione radices, tanto nobis est magis sollicitè praecavendum ne inter vos dissensionis scrupulus oriatur, per quem plantationis hujusmodi novus status valeat impediri. Nolentes igitur quod exorta super episcopatum vestrorum finibus, sicut accepimus, quaestiones vestrum valeant impedire profectum, praesentium vobis auctoritate mandamus quod in episcopatibus vestris illis contenti terminis existatis quos Graecos praedecessores vestros constituerit habuisse. Datum Laterani viii. Kalend. Aprilis, anno tertio decimo.

*Epist. 26. Ut contenti sint suis terminis.*

*PRÆLATIS ECCLESIAŪVM in Achaia constitutis.*

**G**raves nobis dilecti filij Clerici Achaie querimoniam destinarunt quod quidam vestrum pro qualibet levi causa, juris ordine praetermissa, sententiam excommunicationis in ipsos saepius jaculari praesumunt, & quidam etiam nullam in eos jurisdictionem habentes, de facto, cum de jure non possint, gravare ipsos modo simili non verentur. Ne igitur nimium deferendo praelatis, subjectos opprimere videamur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus in Clericos ipsos de cetero nullus vestrum absque manifesta & rationabili causa sententiam praecipitare praesumat. Qui vero in eos jurisdictionem non habent, ab hujusmodi eorum injuria omnino desistant, ita quod eos justam nobis ulterius querimoniam non oporteat replicare. Alioquin pro certo sciat quod si nobis super hoc fuerit iterata querela, officij nostri debitum conquerentibus reddemus. Datum Laterani x. Kal. Aprilis, anno tertio decimo.

*Epist. 27. Ne quis excommunicetur ex levi causa.*

*THESAURARIO, ET TERRICO & W. de Mirabello Canonici Thebanis.*

**D**ilecti filij Canonici Mothoniensis nobis humiliter supplicarunt ut ordinationem quam providè super institutione personatum pro Ecclesiae suae utilitate fecerunt apostolice dignaremur munimine roborare. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita & cognita veritate, ordinationem ipsam, sicut providè ad utilitatem ejusdem

*Epist. 28. Confirmatur statum de institutione personatum.*

Ggg ij